


tonij. Medius & Tullij Ciceronis. Vnum enim aut duo sunt in hac vita ad summum bona Sapientia & probitas: Duo fundamenta tam bonorum quàm malorum bona dicta, quia sine illis bona percipere non contingit vita nostra ac proles: Duo quibus maximè vtamur corporis incolumitas & opes, nam si vincula adsint si seruitus, non es incolumis corpore. Boni Genij seu fortuna sunt qui ad bonum inclinant hominem, qui fundamenta bonorum adiuuant: qui fouent & seruant præsidia qui hæc non seruant, qui alio diuertunt hominem etiam sub specie boni: velut si ad vltionem iuuerint aut medij sunt aut mali, vel ambitiosi, aut molles, vel adulatores iuxta Platonicos, hanc enim vitam verius ad similitudinem illius fingant, quàm illam huius. Cæterùm quod ad animæ immortalitatem attinet videntur omnes conuenire etiam cum antiquis Academicis: Sed cum diuisi sint Platonici alij eas infinitas numero esse censent, sed in vnum coire à morte, & ante. Alij cum his conueniunt quod in vnum coeant redeuntibus in corpora hæc certo temporis spatio, non infinitè hæc numero quodam distinctè, velut si quis lucem Solis aut aquæ portionem vasculis exiguis diuidat

partem quidem prioribus communem exhauriet modo magnam modo exiguam: Et ob id homo ille magis vnus erit priori, quàm fratri vel patri, non erit idem numero, seu quoniam secundam sui partem distinctam habeat, seu quod & hanc & nobilioris partem non eandem. Mihi sanè videtur, quod & Plato insinuat, Aristotelem magis adhæsisse primæ opinionis: scilicet vt animæ non commisceantur, sed certo numero definitæ in diuersa corpora suis temporibus descendant, vt non sint iidem homines: neque tamen prorsus diuersi, sed plusquam specie iuncti, ob idque nec priores aliis, nec posteriores dici possunt. Ergo hæc scire præstat cum propiora veritati sint, loco enim per se dignius: sed etiam quod verisimilius sit, sapientes stultis & imperitis feliciores esse; qui secus non possunt si conducibilis esset fabulis manium Antiquorum credere ut Epicuro opinionem suam tanquam voluptati commodiorem inducenti quæ ipsis sapientibus. Cætera cum ocium dabitur si desideratis scire dicam: nunc tempus est vt quisque ad propria conueat. *Vas.* Erat autem vespera iam: itaque sic discessimus.



LIBER QVARTVS. THEONOSTON. DE CONTEMPLATIONE.

BEATAM hilarèmq; bonorum vitam, qui solis studiis ac contemplationi cœlestium inhiant, hæc est sola vita felix quæ alteri felici vitæ coniuncta est, vt non sit hæc mors, sed transmigratio, nihil enim mirum est, tam fœdum atque horridum esse finem, cuius etiam initium fœdissimū ac miserabile fuit. Huc huc ventum est quod properabamus. Nam si vera sunt quæ Philosophus ait, *vnumquenque sua artis exercitium esse disputatorem*, certè si quid potero hac in parte præstabo. Nulli rei magis additus fui in tota vita quàm contemplationi illa me aluit, euexit, oblectauit. Quid enim aliud est contemplatio quàm immortalium vita in mortali corpore? Ea est Deorum cognitio, cogitatio, amor ac, veneratio, omnia alia caduca, fragilia, abiecta, sordida, humiliâque sunt (hoc vno duntaxat excepto) hæc est summa perfectionis humanæ imò humano fastigio maior; posse Deum diuinæque contemplari cuius causa in hanc elementorum labem descendimus. Quanto verò securius id faciemus admoniti de animorum immortalitate. Quid enim dulcius aut iucundius nobis contingere potest, quàm vt intelligamus nos è Deorum immortalium consortio esse fructurosque æternâ voluptate immortales & beatos perpetuò futuros? Etenim & si

ne illa spe, & absque ea contemplatione miserari omnes sunt. Quod si omnes auditâ animorum immortalitate, alij vitam deseruerūt sponte plures occasionem mortis quesierunt, quantum præstat viuentes id consequi quod à morte tanto dispendio alij optauerunt? Laudo consilium illius Eremitæ, qui cum audisset alios esse in asperiore solitudine ad eam statim commigravit, neque enim existimabat quicquam posse in hac vita tam acerbum esse quod suauitati contemplationis posthaberi non mereretur. Est enim stabile quid bonum felicitas hominis, similis naturæ Deorum, & ad diuinam tendens substantiâ, at quale illud esse potest aut in quo nisi per contemplationem in intellectu? Hoc solum quod auferri nobis nequit seu mortuis & in meliorem vitam migrantibus sen stante sensu & in optimum bonum intento seu ablati vbi nullum est bonum neque malum. Neque enim dubium esse potest quin hominibus natura non concesserit felicitatem, cū infelicitatis participes progenuerit. Si ergo felicitatis compos est humana natura, ea que in re æterna & immobili sita est & operatione præstantissima, palàm esse nihil aliud esse humanam felicitatem quàm Deorum & summi boni cognitionem. Dum enim Deum optimum esse cognoscimus,

summâ Sapientiâ præditû, potentissimum & cunctorum Authorem, omniâque illius arbitrio regi, nostras, animas immortales atque intellectû præditas nihil timere, sed securè sperare ac de nobis polliceri omnia possumus, & in sempiternum eam felicitatem quam ex hac cognitione capimus producere. Fietque hæc contemplatio habitus, non semper operandi, sed vt possimus semper operari. Ergo lætemur ò amici, atque exultemus postquam nobis tantæ felicitatis oblata occasio est dicamûsque cum Poëta illo:

*Nocte dieque sacros iam nunc meditatur
amores, (olympo,
Nocte dieque hilares summo spaciemur
Vt nostras animas ceruentes esse beatas
Vnamus læti.*

Quid enim huic felicitati comparari potest, in qua homo iam exiit omnem mortalem miseriam, induitque cælestem amœnitatem. Ilque qui eam possidet vale dicit omni vitio, omni perturbationi. Cur enim avarus sit? qui scit diuitias non esse felicitatis partem vllam, & omnino relinquendas. Cur timeat quicquam, & non potius dicat cum Christo: *Nolite timere illos qui corpus quidem occidere possunt animam autem nequaquam.* Cur iniustus, qui nouerit, nihil Deo gratius esse quàm iustitiam. Cur ambitiosus aut sæuus? cû omnia hæc summo Bono inuisa sint, neque in huiusmodi, misericordiam vllam meretur qui sic peccauerit. Nati de intemperantia etsi continentissimus etiam esse deberet, qui contemplationi vacat, non tamen semper est necessarium, vt talis sit, deinceps poterit hæc virtus ex commercio corporis ac longe prauâ consuetudine. Sed & hoc vitium tractu temporis minuitur, ita fit vt contemplatio sedem sibi in Anima pareat: ex qua etiâ genus aliud felicitatis proueniat, operatio secundum virtutem. Ex quo tertium demùm scilicet gloria apud mortales, cuius maiores nostri, & nunc etiam principes auidi sunt vsque ad insaniam, eunt in bella, periculis se exponunt quæ etiam inuitus subeat quisvis pauper, incommoda maxima subeunt, exhauriunt ærarium: in discrimen vocant regnâ, filios amittunt, ipsi sibi vitam breviorem faciunt, ob huius boni, quod tamen tertio ordine est, nimiam auiditatem. At qui summo potitur & si nequaquam his duobus indigeat habet tamen in sua potestate. Sunt autè huius habitus partes quinque; cognoscere Dei dignitatem & beneficiû, admirari eadè, amare, gratias referre & quoad licet imitari.

Ci. Sed quid agam primum, vt Dei dignitatem & beneficia agnoscam?

Er. Immensa est hæc enarratio, sed quid minus expedire potest, quàm quodd vobis vtilissimum sit, mihi iucundissimum, Deo gratissimum, vos celem? impium sanè factum, quod eos tantum excusare potest, qui ignorantia peccant, apud me sanè nullo modo veniâ dignum haberi potest, Itaque etiam si prorsus vos, quæ scitu iucundissima sint, edocuero, nullam gratiam promereri volo, sed si quis insidiantes latrones vbi sint peregrinarem edocuerit, suspicionem criminis tantum effugit, gratiam haud vllam meretur, quantum minus, qui seruus est mandata domini refe-

rens, admonet subditos eorum quæ peragenda sunt; Igitur dignitas Dei quintuplici ratione distinguitur, prima est, vt sui ipsius, secunda est, in magnificentia operum incorporeorum, tertia in æternorum orbium fabrica, quarta in horum mortalium constitutione, quinta demùm in connexione illa Vniuersi, sub qua etiam, & factum, & iustitia continentur: sed forsitan hæc duo vltima, quæ ad dignitatem transtuli, atque ita se habent vt ad Deum collata magnitudinem illius ostendant dum ad nos referuntur, beneficij locum habent, eâ ratione ad tria capita differentias dignitatis reduximus. Iam ergo primum de Dei immensitate agamus, hæc tanta est, vt ea solus ipse Deus comprehendere possit, infinitus, æternus, omnipotens, sapientissimus, optimus, vnus, clarissimus, omnium auctor, perfectissimus, sed de his melius est silere, quàm vt mortalem de immortali, corporeum de incorporeo, stultum de sapientissimo, despectum & minimæ sortis de infinito loqui. Succedit magnitudo operum in orbe incorporeo, quæ tanta est, vt omnem nostrum sensum, omnem intellectum effugiat, ipse generat sapientiam, amorem inde tot ordines, sed vt de illius natura & immensitate dixi cû facile in errorem incidere possum, exilitur & ieiune semper dicturus sum, vt hæc duo hymnis relinquenda sint, ab eorum enarratione supersedeo; sat sit illa contemplari, quæ minus possunt referri, quàm intelligi, minusque scribi, quàm referri, nunc iam sit tertium attigisse, neque enim in hoc solum volo vos manere: sed & in primo genere, atque in secundo, quantum vobis adeptâ sapientiâ licebit, doceri enim eiusmodi minimè possunt, cognosci multo plura possunt; itaque non illud à vobis statuendum est, quod si à me non possitis audire, non possitis etiam intelligere. Nec vos expertus sum tam obrusæ cogitationis, quin plura comprehendatis ex verbis istis quamque ego vobis significem. Sed ad rem redeo, quis effari possit orbium ipsorum admirabilem constitutionem, magnitudinem, velocitatem motuum, rationem, concentum illum mirificum, lucè aded illustrem, tam tenuem substantiam, quæ raptu non dissipatur, beatam stationem, fateor ingenuè vbi maxima & admiranda & prædicanda, ibi nostra mens, noster vigor, omnis vis cadit fulgore percussa; placent tamen mihi verba Synesij. At quando ad absolutissimam æternorum contemplationem vitam patefacit animæ non speranti neque etiam cogitanti hoc quidem munus, est in ordinem rerum eminentissimum naturâ videlicet supergredi atque cum ipso intelligibili, illum denique copulare, qui illinc vsque aded aberrauerat, vt neque vnde venit animaduertent: neque vt dubitemus an illa sint stultorum more; An si desideria, luxu, stultitiâ, imperitia, non prior opibus existimare, debeo nullos homines esse opulentos? Ergo si in solitudine sum in quam me ipsum voluntariè intrusi: cogitare modo debeo, nullas esse vrbes pagos oppida arces: Dubitare non potest quisquam, alias esse sedes, immortalem mundum, genios, incorporea: certè si hoc potes obsecor sis licet alpino mure. Sed in his optimum est atque necessarium,

nece sarrarium, id agnoscere, quod si mortales noscerent plurimum interesset, nam neque fortunati præter æquum eueherentur, neque infelices opinione vulgi & suâ morerent.

Ci. Quid est tam grande hoc ac penè diuinum commodum.

Er. Hoc ipsum quod totam mortaliū vitam angit, ac perturbat, si quidem id, quod bonum arbitramur præter virtutem & sapientiam, eaque quæ diis communia sunt, id totum nullo modo bonum est, nam si bonæ essent opes gratiæ exempli, & potentia, & sanitas, & honores & filij essent duo genera bonorum; non coordinata inuicem, nam omne bonum cum profluat à Deo est coordinatum, ad ipsum ne credatis (ô amici) me nunc paradoxa referre, sed ea dico quæ cum intellexeritis non solum vera, videbuntur, verum illustrissima. Dico primum nullum profus esse bonum, præterquam contemplationem, & virtutem, & eius actionem dico neque regna, neque principatus esse bona.

Ci. Profecto mirabilia dicis, & quæ Aristoteli videantur aduersari Bonū (inquit ille est) quod omnia appetunt, omnes appetunt regna & principatus, & longè plures inuenias, qui vellēt fieri Reges, & Principes quā Eremitæ.

Er. Quid sit de bono illo civili, nunc nō est quod dicam, vbi demonstratio clara est, quid est, vt quæramus per ambages veritatem ipsam, quam longa opus esset oratione, vt demonstrares etiam ex Aristotelis sententia, regnum & principatū esse bona, nam & apud Xenophontem in Hierone, cum neque ille esset Christianus neque Philosophus exquisitus concludit tyrannidem esse beatam sed infelicissimam, & regna nostri temporis parum meliora sint tyrannide antiquorum, sunt reges aliqui boni, sed & tyranni boni fuere nonnulli, velut Gelo Syracusanorum & Pystratus, Athenis, ergo repetamus demonstrationem, si aliquid esset bonum humani seu hominis, præter sapientiam, virtutem, & eius actionem essent duo ordines bonorum; ergo duo summa bona, ergo à Deo non profluere omnia bona. Sed sunt quædam media bona scilicet ordinata in ipsum bonum, & hæc duorum sunt generum alia quidem per se, & hæc sunt filij: nam filij possunt esse sapientes, & virtute præditi, & exercere opera virtutis, & hoc modo amittere filium, est amittere partem proprij boni: alia sunt bona dicta, quia sine his bonis frui non possumus, & hæc duorum sunt generum; alia enim eiusmodi sunt exactè, id est, tota sua natura velut sanitas, & libertas, & propter hoc ista maxime diligimus: alia non tota natura eiusmodi sunt, velut opes, & potentia & amici: nam hæc vsque ad metam quandam vtilia sunt ad sapientiam acquirendam, & ad virtutem exercendam. Propterea ex his elucescit questio illa toties tractata, & tanta cum contentione, & in qua Stoici non solum malè audierunt, sed etiā tota Philosophia, cum enim tria essent bona per se in nobis sapientia, virtus, & illius opus vnum tantum statuerunt bonum, virtutem scilicet, quæ nullo alio sanè indiget auxilio, ided relinquebatur, vt opes, amici, potentia, gloria non essent neque bona per se, neque, secunda bona; vnde facti sunt

Tom. II.

ridiculi mendicantes nulli, & in sano iacentes errarunt etiam, quod etsi omnia genera bonorum amplecterentur, non tamen voluerunt auxilia bonorum inter bona numerari neque prima neque secunda. Nos autem cum statuamus omnia bona esse in ordine Diuinorum, nostraque animæ corpori hic iuncta sit necessario vinculo, quæcunque necessaria sunt, ad adipiscenda illa bona, aut conseruanda, aut exercenda secunda bona nuncupamus, opes igitur mediocres, pauci amici, potentia rursus, mediocris gloria cum magna bona sunt, hæc tamen si immodicè crescant non solum non bona sunt, sed etiam mala. Nec tamen ita hæc bona esse censeo, vt bona dici possint, vt neque sanitas, quæ integra esse debet, quia non possunt collocari in ordine bonorum, qui totus constat ex incorporeis; est tamen genus morbi quod malum est per se, & sanitatis quod est bonum per se, vt visus & auditus bona sunt, quia sunt cum cognitione, & omnis cognitio profluit ab eo: ergo sunt in ordine bonorum & cæcitas ac surditas malorum, mala enim & bona absq; dubio è regione posita sunt, tanquam contraria atque aduersa. Illud etiam considerandum quod non protinus sequitur, bona malis sunt contraria, & bona sunt vnius generis; ergo mala sunt vnius generis, imò malorum nullus penè est numerus, adeò sunt multa numero; & (vt ita dicā) penè infinita, paupertas, morbi, serpitus, cruciatus, luctus, tum alia plura: sed quomodo inter tot mala sola contemplatio sufficiat ad beatam vitam, nunc declarare proposui, est enim questio nobilissima & ab omnibus penè Philosophis tractata, qui cum ingressum facillè inuenerint, ad exitum tamen non potuerunt peruenire.

Ci. O perquam libenter auditus sum hoc, vt nihil magis. *Er.* Plerique dicerent hoc contingere pro vniuscuiusque natura, ac fide; nam qui sperant animos superfuturos, hi procul dubio longè pluris faciunt contemplationem, quàm omnem vitæ fælicitatem, similiter imbuti præceptis Philosophiæ, & duri agrestique natura contemplationem præferunt, etenim vt de primis dicam, si quis animum immortalem esse credat & bene merentibus præmia æterna improbis pœnas esse expectandas, quis non aiaci animo non solum libenter omnia aduersa sustineat, & in sola contemplatione, ac spe & expectatione futuri sæculi incorporeorumque fælicitatem sensum, mentem, vitæque dulcedinem, collocet; at contra timidi, tristes, dissidentes futuris bonis, parum Philosophiæ sanctis præceptis initiati, cum omnia, quæ non vident tãquam non sint, æstiment, contemplationem omnem paruifaciunt, aut saltem eam non inter optima collocant, quid enim iucundius esse potest ei, qui de anima atque diuina iustitia rectè sentiat, quam vt perperuò ea meditetur, quæ non solum tanquam iucunda meritò expectet, sed in aliis iamdiu videre concupierit, quid ergo his hominibus regna prodesse poterūt, quid opes, quid voluptates, quantumve timendum sit ab eis quocunq; genere infortunij afficiatur, quinimo potius contemplationi inhærebunt. Aliis verb, qui imbecilles naturâ sunt, legis promissis fidem

O O 2 non

non adhibent, Philosophiæ præceptis nõ sunt imbuti, contra eueniet. Hæc est sententia communis de contemplatione, cum aduersis casibus fortunæ copulatur, melior sanè, quam illorum, qui omnino nihil ei tribuunt, quanquam ego non probem, nisi eatenus quatenus rationi ad vnguem consentiat. Quamobrem id censuerim faciliori regulâ, nec tot anfractibus indiga illud idem accidere contemptantibus, quòd iis qui per Pontem angustum periculosumque, domum redeunt felicissimâ expectatione, nam si excutiantur omnia perierint etsi leuissima causa sit qua excidant contra si animo peruicerint contemnântque fortuita omnia superato ponte felicissimi enadunt, cogitat illud sapiens quod dicit Iob *Nudus in hunc mundũ veni*, cum in hunc mundum venisti nullis fruebaris opibus, nulli tibi erant filij, si non ægrotabas certis sanitatis cõmodis non fruebaris nullis amicis, quid ergo est quod queraris amisisse quæ ab initio non habebas nonne satis est, quod nihil amiseris. Hæc tamen si cogitentur Principes quod non suum est quo potiuntur moderatus licentia quam sibi fingunt aut saltem vsurpant, abuterentur, sed iam ad horum inferiorum constitutionem admirandam transeamus, etenim celestia magis magnifica sunt, hæc admiranda, non secus ac hominis & Ephemerum comparatione, nam hominis fabrica excelsior est quis dubitat & sublimior at Ephemerum tamen & Iulidis & Cucurbitini vermibus manus habentis haud dubie admirabilior est si quis ab initio cogitet mensuram elementorum vides Symetriadem deinde tot mista in contemino trium elementorum vt mihi sanè verisimiliora dicere visus sit (mihi ignoscatur Aristoteles) H. Cardanus in libris de Subtilitate qui tantum tria elementa posuit, in quorum confinio omnia mistorum genera fiunt neque enim omnibus particeps possent elementis mista nisi etiam in vnum cõirent & certè generatio à nullo magis quam ab Hippocrate expressa est, dum inquit, generatio ex elementis sit terra, aqua, aer calidum verò sempiternum, & quod perpetuò mouetur, omnia format, & confingit, aer verò qui intus permeat cavitates facit per quas & spiritus influitur, & calor figurat mēbra, terra verò duritiem & constantiam, & vt ita dicam, substantiam affert aqua verò efficit vt cohæreant partes, & figuram retinere possint. Quid dicam de tot mistis terrenis, aqueis, æreis, si non longè plura sunt & viliora, quàm quæ in aëre videntur faces, stellæ ignitæ, trabes, incendia, irides, arcus circulatorum perfecti, multiplices Soles, nubium phantasmata metallica, seu metalla, lapides, plantæ, zoophita, pisces, insecta, quadrupedia, aues, inde homo miraculum omnium. Sed omittamus hæc, quæ vt grandia magis vidētur ita omnibus notissima ad illud quod longè admirabilius est, licet paucioribus notum accedamus, ordo scilicet ille, quo omnia sibi inuicem consentiunt statis temporibus eueniunt omnia certâ moderatione, certo concursu, statis denique temporibus, vt impia facta penè acerbè sequantur, non sic pia merita digna, seu quod im-

pia facta non nisi ab improbo animo proficisci possint, pia verò sæpè ob ambitionem, ostentationem, gratiam, timorem, aliâque causas, ortum habere possunt. Verùm, & Superi? quid huic voluptati comparari potest, Regnis omnibus, omnibus voluptatibus renuntiasse velim, vt hæc meditarer. Quid enim mortalibus atque caducæ potentia tum breui & interruptè tantis permistâ malis atque incommodis sordidam illi voluptati futili temerariè cum diuorum contemplatione, cum serena illa iucunditate spectaculo illo amplissimo splendido immortalis? ob ea tam felicem ac fortunatam vitam contemplatiuam, beatos illos dixerim imò beatissimos existimauerim qui soli contemplationi incumbunt. Arcana fati mysteria ordinis vniuersi secreta rerum iustitiæ diuinæ in rebus cõquandis exempla, sympathias, antipathias quis mente comprehendere possit, aut si etiam comprehendere liceret latis admirari, sed ne videas turbine verborum, & garrulâ faciendâ rem velle magnifacere singula distinguam, atque id primum dicam, magnum esse quod maximum videri posset, scilicet tot rebus, tot speciebus, ita consuluisse, vt neque agnis lupi deessent neque luporum genus defeccerit vnquam atque ita esse commensa omnia, vt æquâ lance perpetuò inuicem contenderent Maius verò hoc est vt ceteris temporibus cum improba vis hominum sæuit generales accidant calamitates quibus percussis debitas penas luant. Verùm quod maximum est & solum Dei infinitam arguit sapientiam atque potestatem illud est quod ab æterno & in æternum legem meam statuerit, quæ constanti ordine & nunquam interrupto in perpetuum potuerit satisfacere, & neque aquæ Solis ardoribus consumptæ aridam relinquunt humum, nec intumescentes omnia in speciem maris vertant, nec pestis omnes pessundet nec terremotus omnia euerat nec bello victrix gens omnia consumat, sed omnia circa medium cuncta semper consistant variantibus formis. Talia multa dum contemplamur benignitatemque Deorum agnoscimus potentiam, sapientiam, amorè, inde res ipsas, nostram denique perpetuitatem, quantamcunque capere potuit sordida hæc, & obiecta materia, cur non exultemus, ac iubilemus cum rege:

*Vrbes & agni cantibus
Sonate læta maximo,
Seruite mentem numini,
Latis adite plausibus
Ad atria eius aurea.
Ipse, ipse verus est Deus
Terra, poli que conditor,
At ceterarum gentium
Non Dii, sed aurum, & marmora
Tu nos pater sanctissime
Tuâ benignus dextera
Fixisti, oculus nos tua
Sumus tua scientia
Dulcissimo nos pabulo
O pastor optime nutriendi
Æterna dona secula,
Vitam beatam ducere.
Ergo Deum sanamus, &*

*Viri & pudica femina
Adire sancti ianuam
Templi, sonantes dulcia
Carmina sonent late omnia
Nomen Dei sanctissimum.
Nam dulcis, & rerum omnium
Amabilissimus est Deus
Absuret ignis sidera
Tellus peribit, at Dei
Mirabilis clementia
Et veritas semper manent.*

Quæ erat forsan, quis iure merito, cur si hominis finis contemplatio est, cur tam pauci illum adipiscantur, ut vix è mille vnus inde etiam tum millibus, at ego idem quæram, cur tam paucæ perfectissimæ gemmæ, perfectissimi equi, egregij & perfectissimi canes, atque ita de singulis cum tamen dubium non sit perfectissima quæque esse fines in singulis generibus.

Ci. Non mei immemor audebo tibi contradicere non contentionis studio, sed intelligendæ veritatis causa, quod & tu fateberis. Admitto rarissimum esse, semper perfectissimum in vnoquoque genere; vbi materia ad perfectionem concurrat, quoniam tot sine necessaria & saltem illud deficit ipsius materiæ optimè multitudo & in tam longo tempore quantum est illud in quo gemma absoluitur quod sanè non est minus multis sæculis ne chiliadibus dicam vix fieri potest, ut non aliqua mutatio accidat per quam vnum è tam multis euertatur, inde fit vt in omnibus his perfectissimorum rarissimus sit proventus. At in proposito cum hæc summa perfectio non ex materia pendeat, sed ex illo defluxu diuinæ bonitatis, & cathena illa aurea contra expientem immortalis animo vnde tantus lapsus & tam frequens contingere potest.

Er. Iure dubitas si verum causa est satis perspicua vno tantum verbo immutato cum enim in illis materia esset impedimento per se ad essentiam constituendam perfectissimam in hominibus est velut instrumentum, at constat easdem difficultates emergere seu sit essentia ipsa, quam constituere oportet, verum dicis, quid prohibet? Diffundi humanam benignitatem combibi (vt ita dicam) perfectissimè in substantia diuina, qualis anima. Respondeo te non debere decipi hac in parte vt existimes sic diffundi diuinam benignitatem animabus vt in vreo aqua iam pleno, Solis lumen verum cum ipsa efficitur substantia tum diuina vis se illi immiscet, velut cum lac gignitur dulce simul efficitur ita anima dum fit à Deo, dum efformatur, dum fit ea ratione facta est, quia eo ordine maiorem non potuit recipere perfectionem, id ei ingenitum est, vt inclinationem habeat ad corpora, & quamdiu in illis est, actiones perficere nequeat sine illorum auxilium, quoniam actiones eiusmodi sunt, vt quanquam corporeæ non sint, sed animæ, tamen animabus ipsis conuenire non possint sine corpore, non dico corporis auxilio, sed neque sine illius præsentia, at participatione quod sanè, vt videtis, plurimum differt ab auxilio, etenim audire totum est animæ, similiter & videre

Tom. II.

at quis tam est amens, vt credat mentes ac vitas, imò ne mentem quidem ipsam nostram audire aut videre quicquam vbi ergo instrumentum imperfectum fuerit, & ed magis si vitiatum perfecta operatio subsequi non potest.

At statim scio, quid dicturus sis, obicies enim de intellectu & mentis operatione sola, nam hæc sine corporis auxilio fit, aut saltem participatione atque præsentia; imò dico etiam sine auxilio prorsus præsentia licet non antecedente, experiamini in vobis, cum dico omne totum suâ parte maius est, primum conor intelligere, quid ipsam sine præsentia alicuius exempli, sed non possum; cogor enim aliquod totum alicui parti comparare atque imaginari totum & partes tanquam præsentia videam, eoque modo statim assentior huic propositioni, omne totum maius est suâ parte, verum vbi sæpius hoc concepero ed perfectionis deueniam, vt etiam absque repræsentatione alicuius totius vel partis cuiuspiam statim huic dicto assentiar. Tum verò intelligo cum prius imaginarer similiter in eo principio de quolibet dicitur esse vel non esse, & de nullo eorum ambo, atque id euidentius in hoc, quam in priore exemplo, nam cum commune sit omnibus, quæ sunt rebus nullam sibi fingit subiectam materiam penè cum etiam immateriaris & incorporeis conueniat, sed & eodem modo cum intelligo triangulum habere tres angulos, duobus rectis æquales sanè ab initio, non possum id scire, absque vnus trianguli verâ repræsentatione, & ante oculos positâ. Deinde ex illa ad conceptionem formæ trianguli vnus vel alterius sine sensu exterioris auxilio transeùm quæ imaginari dicor, sicut prius videre quod intelligo, sed nondum intelligere gloriari possunt, nisi cum non vnus, vel alterius, sed omnium hoc esse cognouero, at nondum tamen purè intelligere dicor, nisi cum nullo concepto triangulo, intelligo, vt non necesse sit mihi repræsentari tria latera, neque duo, neque vnum, sed simpliciter intelligo triangulum quem sæpè ex tribus lateribus constare videram, postmodum imaginatus fueram habere tres angulos, duobus rectis æquales.

Ci. At quomodo respondebis ei Philosophi dicto. Necesse est intelligentem phantasmata speculari, nulla ergo erit intellectus operatio sine corporis auxilio, nam imaginari etiam si opus sit animæ, nam & canes, & equi imaginantur, non sine tamè corporis auxilio fit vt neque sensuum exteriorum operationes.

Er. Eatenus credendum est Philosopho, quatenus pertingunt demonstrationes atque ita eius dicta interpretanda censeo, videamus ergo quomodo dictum ipsum orationi conueniat, atque mihi opus esset hac in parte eximiâ illâ Dialecticâ, quæ nuper edita fuerat, etenim in illa versatus sum non parum, & mea quid sententia si poterit construi ratio, omnis separatio perfecta eiusmodi est, cuiusmodi cum imperfecta est aut mista ad suam rationem refertur, velut si homo est homo, quatenus rationem participat, homo perfectissimus perfectissimam

Oo 3 mam

manu habebit rationem, & si sanum ut sanum est operationem habet perfectam quod perfectissime sanum est perfectissimam habebit operationem; si ergo intellectus quatenus intellectus est etiam cum mistus corporeæ comprehensioni, nihilominus eius operatio est secreta ab omni operatione corporea, aliter si esset indigus alicuius operationis corporeæ necesse esset, ut indigeret duabus operationibus corporeis & ita fierent tres, quod est contra suppositum, si ergo intellectus mistus ut per se est nullo indiget corporeo auxilio, igitur intellectus perfectus sine phantasmate operabitur.

Ci. Concluderet sanè hoc argumentum aperte, verum hoc oporteret probare, quod intellectus perfectus posset esse absque operatione corporis utpote absque cogitatione, vel absque eo, quod imaginaretur.

Er. Vera dicis itaque perfectus intellectus hoc solo differt ab imperfecto, quia imperfectus non habet perfectam rationem, qua intellectus est, hæc autem est, ut declaratum est non indigere vilo instrumento corporeo, neque esse admistum corpori, ergo perfectus intellectus, quod maximè semetipsum intelligit aut Deum, nullo indiget auxilio corporeo, habesne, quod dicas?

Ci. Silentium imponere volebam, sed postquam me inuitas, dicam, quid sentiam.

Er. Dic, perlubenter audiam.

Ci. Fateor perfectum esse intellectum in homine eius generis, qui homini convenire possit, fateor intellectum perfectum simpliciter nullo modo indigere corporis auxilio, fateor etiam intellectum nostrum perfectum non indigere corpore, ut subiecto, neque corporeo vilo, hoc tamen non fateor quod humanus intellectus corporeo non indigeat ut obiecto scilicet, dum imaginatur quæ intelligit, non quod imaginatur ipse, esset enim duplex eius operatio, & esset etiam corporeus, sed dum ipse intelligit necesse est animam imaginari.

Er. Cipro rem sed ad argumentum non respondes intellectus perfectus habet rationem eandem quam habet intellectus seiunctus ab omni corporeo quatenus intellectus est sed hic intellectus nullo indiget corporeo supposito, ergo neque perfectus intellectus.

Ci. Respondeo perfectum intellectum nostrum non esse cum separatus est ab omni corporeo: sed dicitur perfectus cum assequitur suum finem ut referatur ad magnitudinem operationis, & non ad modum operandi.

Er. Contra, quia sic posset esse simul perfectus & imperfectus, quod enim mistum est ex imperfecto imperfectum est.

Ci. Non est mistus, quia sunt duo, quæ cognoscunt, Anima quæ imaginatur corporem, & Mens quæ intelligit æternum, ergo non fit mistio.

Er. Ergo si non fit mistio sed solum dependet vna operatio ab alia, ergo non sunt simul, sed operationes hæc non sunt in tem-

pore, ergo nihil refert, quod imaginer, vel quod imaginatus fuerim. Præterea incorporea imaginari non possumus omnium incorporeorum est intellectus, ergo multorum, quorum est intellectus phantasmata non possumus imaginari. Sufficit ergo aliquando imaginatum fuisse aliquid incorporeum ex quo selegerit intellectus per similitudinem illud, quod est incorporeum atque id durat modico tempore in nobis, sed iam si placet tempus sumendi cibum est, à prandio plura & pulchriora ni fallor à me audietis.

Pb. Cum hæc dixisset prandium sumpsi- mus, sedebamus enim propè ignem & parata erant omnia mel, panis, pisces affati super crate, itaque à prandio sic orsus est.

Er. Audiivistis ô Amici contemplationis Diuinorum modum, qui exiguo tempore durat in nobis, ut Philosophus ait, sed quomodo hoc in tempore fieri potest cum Mens temporis non subiiciatur, neque eius sit particeps.

Ci. Sanè rectè dubitasti, hoc est quod me sapius torfit, si enim Mens in tempore non est, quomodo eius operatio apud nos tempore definiri potest vel etiam quomodo initium aut finem operatio illa fortietur, haud enim dubium est, quæ oriuntur & intereunt subiicere temporis.

Er. Non ea tantum causa id in medium adduxi, sed ut planè intelligeretis quonam pacto etiam immortalia ad temporis mutationem sint comparata, sed & audietis de alia animæ nostræ operatione simili sensibili quæ tamen nullo præsentis sit obiecto corporeo ipsi sensui, primùm ergo dicamus quomodo res quæ extra tempus est, nobis temporis subiecta videatur, nam rota, quæ vertitur circa axem mouetur, & ei qui est in rota axis videtur moveri cum tamen non moueatur, sed forsitan dicere possietis, & iure merito quod hoc est exemplum indiuidui, aliud stabilius & clarius doceamus, sit turris in ripa fluij quam cum quis in nauis sedens transferit videat exaduersò, nauim autem non aspiciat nonne ei videbitur turris longius abire atque idcirco moveri, nec tamen mouebitur vsque, sed ipse solus, ergo ad vnguem fermè ita de Mente dicendum erit, nam illa nullo cum tempore operatur nullum tempus exigit nullo modo temporis copulatur perpetuò contemplatur, ac eius contemplatio ad nos non perpetuò tamen aduenit, sicut neque radij Solis perpetuò ad nos veniunt, sed modò nubibus retunduntur, modò explicati illustrant nos, idem est de Mente, nam cum impeditur nobis non communicatur, quoniam imaginandi vis impedita est sine qua, ut dictum est, raro Mens operatur, propterea & incipere & desinere videtur quod nullum habet principium & simile quidem accidit etiam dormientibus, nam palàm est animam manere dum dormimus, & ipsi nos anima sumus non minus tum, quam cum vigilamus, manet ergo Mens & pars nostri est, dum nihil intelligere videntur, non minus quam cum dormimus anima manet & ipsa operatur in nobis,

nobis, mouet enim cor & arterias & spiritum purgat, segregat, concoquit, trahit nobis, nescientibus & est mirum sanè cognoscimus & operatur & cognoscimus operantem, & tamen quandoque operatur & non cognoscimus, imò fermè dimidio temporis operatur nobis cognoscentibus, & dimidio non cognoscentibus, quid ergo mirum est de mente? Quod cognoscat & cognoscere nos non percipiamus. Si quis dicat discrimen esse, quia sola Mens est quæ intelligit ob id intelligere non possumus quin intelligamus nos intelligere, at videre possumus & memorari & nos non cognoscere, non videre, aut memorari. Verùm id quo nos cognoscimus, nos cognoscere potius pertinet ad rationem quam ad intellectum & idèd minus mirum est nos intelligere & non cognoscere quod intelligamus quàm quod sentiamus, nec percipiamus nos sentire: quod verò attinet ad alias functiones motuum cum sint corporæ forsitan fieri potest, imò necesse est vt sint calorìs cœlestis & eius quod necessarium est ad animæ operationem non vt est instrumentum istius animæ, ita videmus in nobis corporis appetitum vt descendat inferius quem nos vnde veniat non percipimus, sed iam dicetis intellectus dum se intelligit se necessariò intelligere, intelligit, ergo non potest latere, cum operatio propria sit. Præterea intellectus diuersa intelligit, ergo non manet idem semper.

Ci. Mihi videris maiorem prætermisisse difficultatem in hac causa, nam dixeras intellectum non indigere opere imaginandi, & ob id esse absolutum, postea concessisti illum eo indigere, vt euaderes argumentum quare intellectus cum semper intelligat modò videatur intelligere modo non videatur, cum enim velles persuadere quod verum esse credo Mentem non esse in tempore, dixisti eam semper intelligere, itaque cupio omnium horum habere notitiam & non audire quemadmodum Peripatetici dare solent perplexa responsa.

Er. Ad hæc primum dicemus & satisfacimus tibi ne obscuritas aliqua antea relicta nos fatiget in posterum, Mens ergo & Anima nostra cum æterna sint, quatuor habent genera operationum, vnum omnino segregatum quod non communicat corpori, neque illud participat nisi cum nexus hoc percipit, nexus autem ratio & intuitus quem imaginari dicimus, intellectus autem potest seipsum intelligere & dum intelligit intelligere se, intelligere, nec tamen homo se intelligit intelligere, tertium verò genus actionis est principium vitæ & quatenus principium est, non cognoscit homo, quoniam istud est ante vitæ principium, at vita ipsa principium est eorum per quæ homo intelligit & cognoscit, ergo homo non percipit vitæ operationem, neque percipere potest nisi per coniecturam, quartum verò operationis genus est quod cognosci potest quoniam ad cogitationem ordinatū est velut omnes sensus exterioribus quos palam esse ordinatos in cogitationem & intuitum, conuincio ergo animæ cum cogitatione est per

operationem, & cum homine est per vitam, & idèd per essentiam & substantiam sicut cum operatione per vim & facultatem vt non facile sit dicere quid intelligat, quod viuat, quid sentiat; planum est enim vnum & idem esse quod sentit, intelligit, viuat, sed non facile est dicere, an homo, an Mens, an equus, an anima; anima est ergo quæ non solum principium est omnium, sed etiam primum & verum subiectum: Homo autem instrumentum quod id percipit. Exemplum clarissimum afferam in re adèd ardua, quid est quod videt? oculus proprie, sed tanquam instrumentum tamen, homo autem seu anima verè videt, & percipit se videre, inhæreatis huic exemplo, si vultis animæ essentiam & mentis intelligere; neque enim in tota vita quæ vt videtis quàm longissima fuit accommodatius inuenire potui, & sicut tabescente oculo contabescit & visus, homo tamen eâ facultate defraudatus non est, nisi vitio instrumenti, alioquin potest memorari & cogitare, ita cum homo senescit Mens ipsa & anima integræ sunt fraudantur tamen opere instrumenti, sed iam ad reliquum accedamus, nam primum meo iudicio dissolui, scilicet quod aliud est intelligere intellectum se intelligere aliud intelligere hominem se intelligere: nam primum semper verum est imò sempiternum, secundum non semper verum est cum dormimus non cogitamus, tria ergo sunt vt ita dicā tempora sed verius status, in intelligendo. Primus est cum imaginamur & cogitamus, & per id ad intellectum peruenimus velut cum intelligimus animal esse sensu præditum. Secundus est cum intellectus se intelligere intelligit. Tertius est cum nos intelligere intelligimus neque enim vnum horum fieri potest altero non præcedente secundum non nisi primo, Tertium non nisi secundo. Quum verò dicis mutantur obiecta intellectus, ergo illius operatio non est sempiterna? Respondeo quod intellectus æternus est & est Dei atque omnium simul vt verò nobis communicatur non ita, sed velut in vitrea ampulla sole illuminata iuxta diuersum intuitum diuersi colores, & imagines repræsentantur, ipsi tamen iidem manent, & imagines eadem, & in vno collectæ sunt perspicuo, ita in hac nostra Mente omnes rerum imagines pellucunt, sed modò vna, modò altera nobis repræsentatur, cum enim pura reddita fuerit Mens Deus efficietur non equidem ille primus auctor omnium, sed ex his qui à primo defluerent genius quidam qui cum nobis perfectè damnabitur cum cupiat homo suo genio adherere, non amplius peccabit; quinimo ab omni perturbatione immunis erit, & quod medium est, dico homo & cogitatio, & in homine appetitus, & in cogitatione voluntas, licet ab impetu corporis agitentur, Mens tamen prohibebit aut maxima ex parte retinebit & quod iam agitatam est reuocabit ad sanum statum non secus ac qui in societate est hominis præstantis boni ac sapientis quem reueretur, ac veneretur, itaque anima iam pura totum hominem purum efficiet, est autem pura

anima ea quæ à labe corporea purgata adhæret superiori menti tamquam cognatæ ac semper puræ cumque id efficere potest in homine atque vt dixi, in cogitatione & voluntate atque appetitu virtus appellabitur, dicitur ergo virtus cum hominibus non consenserit vt si non in voluptatibus erit temperantia, & si non in metu erit fortitudo, & si non ab ira vel amore erit ipsa anima iustitia in illo & si non cæcutiat sapientia, ideoque anima cum Deo assimilatur qui omnia sine affectu corporeo agit, beata erit, virtus autem animæ est non mentis quoniam est eius quod miscetur, & vt dixi de cognitione & exemplo oculi in anima tanquam in subiecto principali, in homine autem tanquam in instrumento, similitudo tamen virtutis & scientiæ quæ in nobis est ad ea quæ sunt in Deo atque in eo eminent, sunt sicut eorum, quæ scribuntur ad ea quæ proferuntur, & eorum quæ proferuntur, ad ea quæ sunt in anima; hæc enim solum sunt imagines, non solum eorum quæ sunt in Deo, sed etiam eorum quæ sunt in anima, & velut plantæ fructuum Paradisi in Italiam translata quippiam conatur, nihil tamen potest perspicere sed speciem quandam solum præbet, ita sunt operationes hominum, virtutis, atque scientiæ, est autem anima velut materia indefinita virtutum atque scientiæ & velut materia per formam enti assimilatur, ita anima per virtutem & scientiam Deo fit similis, differunt tamen quanto anima præstantior est materia: Accedit in contemplatione aliud tertium genus de quo forsitan mirabimini aut ridebitis, sed cupio magis vos ridere quàm flere vel defraudari aliquo bono vel etiam perexiguo at meo quidem iudicio non adeo perexiguum hoc est si saltem ad cognitionem nostræ excellentiæ animi conferatur vt cumque digna sit tanto honore vt præteriri non possit, Est autem principium sensus in ipsa anima absque sensili quibus enim clarissimus est sensus atque purus & maximè intentus in Deum cupidus iustitiæ quem scientem verè dicere possumus, neque cibo neque potu obrutus, nec à musis alienus, sed disciplinis imbutus abundè, & arcanis rerum instructus, is non dormiens sed vigilans videt arcana sensuum. Scio ergo hominem ab hac consuetudine non alienum, non dicam qui sit, modò intelligatis, neque illum me voluisse decipere neque me vos, quia aliquando per vigiliam tribus his principalibus sensibus qui non omnino materia obruti sunt, sed incorpoream vim quandam retinent, scilicet visu, auditu, atque olfactu, ita vteretur non omnibus quidem eodem tempore, sed modò vno, modò altero, sæpissimè tamen olfactu, sed & eo diuerso modo, nam olfactu quidem odores sentiebat, ita vt aliquid perciperet, visu verò & auditu, sed auditu etiam magis incredibilem sentiebat voluptatem, non solum sine sono præsentis, aut harmonia vlla verum sine illius imagine, vt ortus omnis eius voluptatis esset in principio, scilicet in anima eâ ratione quâ vt potest auditus officio dum harmoniam per-

cipit quam singularem & exquisitam & quoniam huius forsitan aliquando particeps fui, haud pigebit eam declarare qualis sit, nec despero quamvis difficilem rem posse vos docere qualis sit imaginemini, ergo si vnquam audiistis harmoniam admodum iucundam atque suauem qualem maximè vt diebus præteritis dixi, esse canentis in lyra, vel etiam si plures vocibus elegantibus ac sonoris sitissimè canant, inde vbi defierint statim in anima remanet quippiam memoria maius, sensu minus, imò quod ad sensum attinet nihil prorsus neque soni neque turbinis illius, qui à sono non secus quàm lux à Sole in oculo remanere solet vel à niue vbi diutius illam omnia occupantem circum aspexeritis, nihil ergo tale in aure remansisse volo, sed puram in ipso sensu ac mundam quietem, ipsa verò anima quasi tripudium percipit, sensui imaginem ostendat, ac velut dicunt Pythagorici Cælos harmoniam sentire aut motu suo parere ita in anima initia sunt sensuum & quasi aliquid receperit aut seruauerit ex pristinis speciebus gliscit & delectatur, nec est exigua hæc delectatio, sed partim concinnitatem, partim miraculo, scio quid dico magis delectat quàm quævis vera harmonia videturque simillima illi cælesti quam tamen qualis sit nemo dixit, nec ego referre possum, quid plura est perceptio hæc voluptatis soni, neque cum sono tamen non sine illius imagine sentitur mutatio in anima sentitur concentus, sonus nullus auditur, facile dicas hoc esse imaginari, sed quod per horam aut plus in eodem tenore permanet, itaque cum tantu maneat cum adeo delectet cum voluntaria res non sit intuitus aut visionis internæ neque vim neque partem esse dixerò tum verò magis quod vt dixi multis indigeat diuina contemplatione, sicut vehementi iustitiæ disciplinarum cultu & labore circa ipsas corpore à cibis atque potu non grauato, demum anima quadam sensili nos dicam perturbationibus vtriusque quæ enim perturbatio in anima esse potest cum iustus & temperatus homo fuerit ac Deum contempletur, in qua magna pars timoris & si non omnino totus mortis timor aboleatur, nam impudentis esse dixerò, si quis velit profiteri, sed Deum amare ac contemplari consuesse, deinde timeat quippiam præter mortem propriam aut suorum præcipuè descendendum; ergo tot & tanta bona sunt in contemplatione quæ Deus permisit, imò dono dedit nobis vt hunc mundum inferiorem hoc ipso diuino munere adeo exornaret vt cælesti illi, imò etiam incorporeo comparari posset. Quapropter & Reges & Principes omnes Philosophos habent & cupiunt hoc ipso munere exornari. Quod & si qui tyranni etiam sint vbi parum confederint, animo, cupiunt & ipsi scire, quid Deus, qui Diui, quæ vita eorum, adeo vt semper hoc ornamentum inter mortalia effulserit, nec vnquam defuerit vbi collocaretur, ac vigeret, rara dicitur, est hæc auis, imò Phœnix illa Ægyptiorum non, sed vniuersi, non fabulosa, sed vera, non alis corporeis sed Mentis euolat in Cælestium primus in hoc genere

genere fuit Mercurius Trimegistus, qui cum Rex esset contemplationi se dedit cuius etiam exant egregij libri: proximus ab eo fuit David seu David Rex Iudeorum longè felicior apud me contemplationem diuinorum siquidem priuatus regno & in fugam conuersus tot quæ antea passus persecutiones à Saule pulchros illos cantus psallebat pulsans Barbiton, videas in illis mentem in Deum intentam & firmum quendam intuitum diuini amoris beneficiorumque memoriam. Mosen tertium ab hoc numerabo Ducesorem populi tamen non Regem in quo pieratis vestigia summæ quædam videas, solet etiam adnumerari inter hos Antonius Philosophus; Sed hic stoicus fuit, quorum vitam vt non vituperauerim ita laudare non possum, omnia enim cum in suam illam virtutem admirabilem referant & duri sanè & inculti nimis & parum pij habentur neque nostro proposito satis congruunt absint à nostro sermone Epicurei, Athæi, Cynici, Stulti, Stoici ambitiosi amplectamur vera Philosophiæ genera non fucata Peripateticos scilicet atque Academicos intra horum cancellos nostra cœreatur oratio, & loco Antonini veniat Alexander Mamea, qui etsi litteras non sciuisse credatur aded tamen excelluit pietate, vt caruisse diuinorum contemplatione & vera religione existimari non possit & cum plures alij fuerint Principes contemplationi dediti: multo plures tamen fuere qui Philosophos egregios aluerunt cum quibus amicè versabantur & inter reliquos Ptolomæi, Reges Ægyptiorum, & maximè Philadelphus & Philomessor, sed neque Lagi filius omnium primus à Philosophia abhorruit, verùm quid dicam de Adriano Imperatore, is mihi multis laudibus dignus videtur, sed cum neque careat vituperatione, non habeo quid dicam, neque enim profecisse tantum videtur, vt se ipsum vicerit, sed omittamus hos, magna fuit seges in summis Pontificibus Romanis præcipuè Cœlestino, Quinto Esserniensis Petro Moroneo dicto, qui ex Eremito ad tantam dignitatem vocatus est, inde etiam ab ea se abdicauit, maluitque vincus in carcere corporeis vinculis contemplationi se sedere quàm incorporeis obligatus cum tanta dignitate ne contempleretur impediri, & à Diuorum consortio separari, & quamvis in carcere obierit, auctor tamen tanti sceleris dolore animi, quo nihil maius est, periit, & temporibus iam profligatis, scilicet anno Domini M.CCC. circiter Benedictus XI. Taruisinus nam quid dicam de antiquis, Clemente, Anacleto, tótque aliis, qui in Eremito habitauerunt, ergo vt iam exempla singulorum omittam, ad idque regrediar, quod ab initio dixi hæc ipsa contemplatio nil aliud est quàm decus, quàm summa perfectio humani generis ornamentum omnium rerum mortalium, testimonium diuinæ, substantiæ ipsius animæ quæ est omnium ærumnarum, miserorum asylos, nexus, ac vinculum cum Diis, splendor mentis, sublimitas conditionis nostræ, hæc sola nos comitatur euntes, stantes, liberos, seruos, vincos, nostri iuris, ægros, sanos, exu-

les, in Patria, peregrinantes, nauigantes, diuites, spoliatos, cum cæteræ voluptates reliqua lenimenta laborum, ærumnarum, atque dolorum multis plaustris indigeant, aut camelis vt circumferantur, quemadmodum Turcarum Princeps, cæterique Barbari Reges, quibus vt exigua fruantur voluptate opus est, vt immensum agmen, & impedimenta maxima, & tædij, atque spurcitæ secum ferant, quàm quod ex fructu voluptatis colligere possint, vt sit in voluptate dolor potius, quàm in tanta turbatione voluptas: puluis, calor, strepitus, foedi odores, tetra facies, clamores, iurgia, languentes, vt miserimum sit sic esse felicem. At contemplationem tecum defers nullo vel vnico libello. Musicus habet instrumenta, quæ deferat, eruditus libros, Comædi, Tragædi scenam totam, Histiones habitus, Præstigiatores sua vascula, Pictores tabellas, quantus labor? quanta cura? & diligentia & cura opus est? vt viridarium exornes, vt domum bene instruatam habeas, noster hic contemplator secum omnia, non solum sine labore defert, sed etiam sine vllo corporeo sensu ipse dum contemplatur cum Diis est, non amplius mortalis & extra se ipsum rapitur, vnde etiam ex diuina consuetudine quasi extra mentem sint, primùm ridentur ab hominibus, verùm vbi sapientiæ lumen effluxerit apud omnes Gentes, non omnino Barbaras in maxima sunt veneratione. Quid si cum eruditione & bonis literis contemplatio iungatur? Sunt enim bonæ literæ & studia earum leuamentum miserorum & ornamentum sælicium, potentium Doctores, & humilium defensores: nobilium decor, & plebeiorum tutela, in solitudine fidus ac iucundus solius: in vrbe degenti pulchrum & generosum spectaculum. Diuites docent normam distribuendi opes, pauperes quomodo colligere possint in aduersis solatium, in secundis frænum, bonis gloriam pariunt, malis fuci loco sunt: Pueris spem incrementi iniiciunt: senibus deficiente ætatis vnicum solamen. Non sentiam cum his qui cæcitatem, surditatem, paupertatem, & cætera mala laudant, sed id audacter tamen proferam melius esse istiusmodi hominibus quàm imperitis. Illa enim sunt naturæ aut fortunæ delicta, hoc vnum tuum est, nam nec de parentibus conqueri debemus & illos accusare negligentæ, vt nos tueamur, totum tuum crimen est cum adoleueris. Hæc ipsæ te ferunt ad astra grauem mole, in Mundum lucis hic cœcutientem, & à morte vindicant super funus.

Ph. Hæc cum dixisset finem fecit lætus, atque curandis equis, piscationi, parandæque cœnæ, nos dedimus hilares omnes atque diem sequentem tanquam noua audituri expectantes.

Proxima igitur die surgentes & Deo gratias agentes iter direximus ad montem, erat enim serena dies, tùm inquit Eremita. Heri ô amici audiuitis præconia solitudinis magna certè, sed non maiora veris, hodie hoc vnum erit præconium, vt ostendam nullam aliam vitam meliorem esse aut quietiorem

rem quam contemplatiuam quod facillè impetrare posse spero, initium sumendo ab ea, quæ ab omnibus vel præstantissima existimatur, vel præstantissimæ proxima, scilicet eruditorum, ergo primò Philosophos atingamus, qui vt benè refert Petrarcha, qui & vllum libenter Aristotelem ventilantes, ac noua sensa exquirentes à mane vsque ad vesperam prodigiosis illis concertationibus perpetuò exagitant, nec vllis finis contentionibus, nec fructus tantis laboribus nisi opiniones falsas, & inane nomen sapientiæ, & ambitiosum supercilium, aut stipendia illa ampla, quæ tamen paucis contingunt pro munere duxeris & certè nomen inanis sapientiæ & contentionis & temporis iacturam inanem & ambitionem ex fucata sapientia acquisitam, non inter bona vnquam duxeris si sapias: de præmiis autem quid deterius homini contingere potest quæ scelerata conscientia, vbi enim cogitaueris te vt fallas mortalium genus pecunias accipere tanto grauius dolere debes quanto plus acceperis, deinde quodnam præmium tam ingens esse potest, quod pro ignorantia accipere velis, præsertim cum non desint modi quibus iustè diuitiis potiariis & multò plura pares quam melius lōgè esset sènore ea comparasse quàm dolo. Accedit quod in huiusmodi vita atque aliis, animus noster, qui repletur errorum & qui tam vberè fructum referre poterat inutilibus, & prauis dogmatibus tùm optimor hominum, tùm vulgariū exemplorum, tùm iniquarum consuetudinum & crudelitatis Principum & simulationis sacerdotum, & violentiæ potentium, & audaciæ impudentium, & doli artificum & malè repositæ potentiæ magistratuum & periurij iudicum atque innumerorum aliorum exemplorum pessimorum repletus, quanto miserius euadit se ipso contemplationi Deorum & incorporeorum ac sapientiæ & virtutis dedito? Hinc ocium lætum illinc triste negocium, in hac silentium vile atque libertas, in illa tristis clamor, & turbulentus, & curæ, & sollicitudines, & tristis seruitus dominantur, sed vt diligentius rem exequamur non solum per conditiones hominum sed diei horas, & anni tempora, & ætates hæc distinguuntur, surgit mane vir contemplationi deditus, gratias agit Deo, pro tantis beneficiis acceptis illius magnitudinem admiratur plenus spei, vacuus timoris ad honesta studia se accingit, aliquid meditatur noui, non hunc mundum tanquam patriam sed illam cœlestem colit & veneratur, non pridianæ cœnæ reliquiæ, non memoria turbulentorum somniorum illum exagitat, contrà alter vbi primùm surrexit limen obcessum à Clientibus inuenit, salutatur, audit querelas, pascit in forum traditur plenus negociorum ac mœstus & vbi primus in Syluam plenus ocij securus ac gaudens vadit hic superba Palatia ingressus vt ad principum Sedes aut Magistratuum & iudicum tam inuitus quàm coactus manet iusticiam premens infonsis modo nocentis. pascit audaciam, pro veris mendacia miscens, tandem vel infecta negotio vel aduersa sententia

vel nimis territus vel graui reprehensione coërcitus vel blandis verbis, sed falsis in spem allectus domum se recipit, non minus delusus ab aliis, quàm ipse alios fallere concupierit, & vix impetratâ veniâ vt mingere possit, aut quieti se dedere clientum suorum se aspectibus intenti subfuratur ille alius contra & Solis exortus iucundos, & leue murmur parui gurgitis & florentem humum variisq; coloribus resperfam & auium dulces concentus contra audit, redit domum, nec mœstus, nec turbatus, nec lassus naturale cibi desiderium simplici cibo atque potu, vitreo vtreo contentus sedat, nec minus lætus à cibo assumpto quàm antè non grauatus, sed recreatus. At negociosus hic noster vir quantas turbas Superi patitur, vt rem exiguam leuet, hinc sedes, puluina, clamores, strepitus patinarum, vnus vertit putre solum & dum purgat pedum loca, aërem & spiritum puluere conturbat, hinc adultores, & canes, aurea argenteaque vasa, tapeta omnia, oneri & sumptui atque curæ non leui mancipata vtilitati ac nitiori prorsus inutilia, taceo pericula veneni quantum sordium immixtum dapibus excoquis, ministris, pueris, castibus, felibus, canibus, vt si quis recogitare velit nunquam firmo satis stomacho efusus sit quicquam, in prægrandi aula & cœna appata antequam me conferrem in hanc eremum, quæ etiam re quanquam leui spectaculo, tamen non memoriâ indigno ex capite lactium in mensa appositæ, vermibus viuens spectabatur quod in religionem ratione quâdam conuersum quanquam esset, nihilominus omnes conuiuas & qui persuasi sunt, & qui non persuasi è conuiuio surrexerunt & abierunt abominatè factum. Contingit & aliquando vt inter lactucas mihi appositæ vermibus ruber credo parua diligentia coquorum, non palmo minor inambulabat in oleo & aceto, cogitate, quale spectaculum esse debuit, quoties illos pro mustellis, quoties araneas, pediculos, scorpiones, pulices, cimices, muscæ in patinis illis argenteis mortem appetière quibus extractis embammata & incinctus referuntur in mensam multis etiam ex his animalibus adhuc sepultis in egregio obsonio lombrici familiares sunt carduis illis suauissimis, quos ex iure condire solent. Quid de vinis illis Phaleris ac Sorrentinis ad Palati delicias paratis: cæterum non nisi corporis salubritati & mentis inimicissimis inde finis, sudor, malus odor, ructus, secreteus, tussis, sputa, lassitudo, grauitas, chaos in ventre, imò in mente quod deterius est, ecce statim strepitus concursus vasorum collisio dicta importuna, scomata, semiebrii & mero percussi, vt illius vtat verbis cubicula pro sepulchris, & conscientia pro inferno redeunt, clientes imò hostes tædium in audiendo, labor in conquirendo consilia, cruciatus in exequendo. Habet enim hoc iniqua Mens vt impariens sit more & quicquid optauerit ægrè ferat vel momento temporis differri. Quid aliud significarunt Poëtæ per Furias illas Tartareas quàm immoderatam libidinem: cuiusque rei nefandæ, vel libidinis, vel vltionis, vel auaritiæ,

auaritiæ, vel ambitionis, vel sæuitiæ, vel cuiuscumque perditæ cogitationis, stimulis semper ardentibus, ac facibus vritur animus & vrgetur, quisquis ad illicita iam prouit, nulli vitio frænum est, & vt honestati grauitas & maturitas amica sunt, ita in honestis cupiditatibus, inconsulta consilia, & præceps celeritas tum maximè quod quæcunq; iniuste facere decreueris, aut obtinere speras ex minima occasione in periculo sunt ne elabantur, superuenit vespera, atque hic rursus laborandum corpore laquei atque nodi ex ingenio sunt explicandi scelerata, contentiones, iniusta pleraque, odio plena plurima, multa etiam periculo non vacant, contra ille noster contemplator sedet in ripa, aut solus ad ignem, aut in lecto recubat, culcitrâ tectus, omnia bona secum reuoluens, aut librum quempiam frugi legens Deos veneratur atque precatur quod illi pessimè in mentem venire potest, scilicet vt nihil supersit ab obitu, alteri loco optimæ spei habendum est vt nihil supersit, ne tot scelerum pœnas luat, deuenit ad cœnam parua in vtroque exempla cum prandio, sed & ei qui sobriè viuunt & de diuinis cogitat, longius tempus relinquunt pro somno, namque dubia illa cœna nunquam finem habitura esset, hoc incommodi habet vt famulos cogat expectare ne non incœnati dominum deducant ad cubiculum, ibi discrimen ingens, cum itur ad lectum & nulla in parte magis euident, sobrius, ac pius plenus spe, leuis corpore, sanus mente clarâ se confert ad cubiculum: contra cibo onustus, corpore grauis, mente turbatur, incertus futurorum, omnia timens in quo & vigilare graue, & dormire iniucundum, & cogitare triste, at pio illi homini somnia leuis iucundas cogitationes, somnia diuina & plena admirationis, ac suauitatis, non illum vrget memoria deceptorum clientum, oppressorum pauperum, pulsorum finibus, agricolarum stupratarum virginum circumscriptorum pupillorum, spoliatarum viduarum, afflictorum, necatorumque innoxiorum.

Ci. Sile iam hos non opponam tibi mallem esse non contemplatorem aut studiosum, quorum vita sælix est, sed per ianuam & ostiatim mendicantem cibum quam talem hominem, qualem mihi descripsisti etiam si Gyge ditior sit, sed multi sunt gradus hominum his longè meliores, neq; enim tibi oppono vitam seruorum, aut rusticorum, aut militum, aut nautarum, quæ semper est, fuitque, atque erit miserima, sed sunt Reges primum ac Principes aulicos, nunc omitto qui omnis principalis nequitia & ærumnarum, atque periculorum participes sunt sælicitatis, atque præstantia omnino expertes, sed & mercatores & nobiles præcipuè qui sibi viuunt nemini negotium facessentes studiosos etiam atque sacerdotes, atque huiusmodi viros, qui neque contemplationi se dedunt neque infelicitate tamen vitam degunt, nec ipsi aliis infelicitatis causa sunt. At verò circa hæc multa dubia sunt, fateor enim optimam vitam esse contemplatiuam,

sed cur tam pauci in eam descendunt. Deinde si quis huic vitæ operam det, quoniam pacto victum sibi parabit, neque enim solum dicam, quod non omnibus hic vitæ status conuenire poterit, sed quod vix vlli. Deinde vbi adeptus eum fueris, periculum est ne ex eo deiciaris tanquam iners & nulli commodo mortalium natus & sub sanctitatis specie præsertim vbi tam commode degere possis, non vitam quidem contemplatione deditam, sed ociofam quæsisse velle videaris demùm quod si omnes huic optimæ vitæ se dederent, nec esset qui sereret agros, nec qui vineas coleret, nec qui nos tueretur ab hostibus, vt dum beati esse cupimus omnium miserimi siamus, non sine etiam dedecore, ac iusta reprehensione Hæc si mihi aperueris, vt spero, circa laudem propositi principalis, non multum laboro, nam dubium non est aut saltem non esse reor, quod si homines nullis indigerent quemadmodum, & Di, quin contemplationis fructus omnium certè esset præstantissimus atque dulcissimus at si dum contemplauero pueri esuriant mei, vxor sine veste sit, ego verberer ab inimico, non sit mihi vnde petam, vel auxilium, vel quadrantem, certè haud ridiculus ero, aut miserandus. Certum est enim quod si vita hæc optima esset toti humano generi conuenire posset, neque enim optimam vitam Deus aliam efficit, quam quæ cuique posset satisfacere, multa sunt eiusmodi, quæ optima sunt, verumtamen in pluribus esse non possunt, velut in regum sapientia summa, Gemmæ perfectæ. Nam si essent gemmæ perfectæ omnes, nulla esset imperfecta, & si nulla esset imperfecta gemma, nulla esset in materia contumacia, nullum vitium quod esse non potest. Tamen concludo quod neque homini, hæc vita utilis est, quoniam cum appetitur, quod haberi non potest, nec quod haberi non potest habemus, quia haberi non potest, nec quod haberi potest quia non appetitur, nullum autem bonum apud mortales haberi potest nisi appetatur, quandoquidem etiam non solum desideratum sed quæsitum, & diligenter etiam elaboratur è manibus nostris.

Er. Re&rd dubitas in omnibus & si meminero conabor tibi satisfacere. Verùm primum docere vos volo, nullam vitam esse quæ sub Principe sit. Quandoquidem neque metus neque seruitutis expertes esse potest, durum est nimis alieno nutu atque arbitrio regi, & quid agere oporteat ex aliena fronte condiscere, durior verò Aulicorum conditio, quibus alienum limen, alienum tectum, cibus, somnus, & quod maius est mens, & frons vt abiectis propriis affectibus cogantur alienos indere, & cum mortuus est filius, ridere quod Princeps vxorem duxerit, & cum filium susceperis flere quod clades ab hostibus accepta sit, nonne meminit Suetonius Imperatorem quandam occidisse Ciuem quod in municipio, ne scius natalem suam celebrarat, dum iustitium ageretur Romæ, d? quam malum est aliena tractare, deterius est ex alieno viuere, pessimum cogi cum alio sentire, seruitus summa

summa est ferreis compedibus teneri, non minor est, imo grauior, sed honestior aureis, itaque nullum genus seruitutis huic liberè vitæ dignè comparaueris, cum verò duæ sunt maximè malæ imprecationes mitibus sub verbis, Cretensium vna, qui optant hostibus suis reliquorum hominum, vt iisdem nunquam vacent à negotio & solitudine, qui aliis seruiunt & præsertim in aula vtriusque imprecationis effectum subeunt. Sed quoniam & principes, & sacerdotes, & sapientes, & nobiles mihi obiecasti id rogo quæso quam felicitàtem in iis, & quem fructum collegisse illos putas (demptis Sacerdotibus, qui si boni sunt è numero nostro sunt, non alieno) ex tota vita si contemplationi non vacauerunt? edere bibere, mingere (fœdiora prætermitto) concumbere, alea ludere, venari, dormire, vigilare, contendere, pulsare, pulsari, acquirere, amittere, suscipere filios, luctu discrucari, laudari, vituperari, demum cum magno cruciatu mori: hæc est hominum vita qui contemplationi non sededunt proximior morti, quàm vitæ, & quam cum exegeris abundè pœniteat te vixisse. Si falsa dico, rogo, me reprehendite. Stultum solatium ac planè puerile cuiusdam gloriæ inanis mentionem querere, quæ neque utilitatis quicquam affert in præsentis vita, spei multo minus in futura, namque spes esse potest rapinæ alienæ, cædis tot innocentium, stuprorum impietatis nisi velint & ad votum suum Deum fingere Tyrannum, quod illos videatur sinere viuere talia facientes imò adiutare, quod illorum nefandis votis & amentitiæ inexplebilibusque cupiditatibus nihil transuersum interponat, quasi illi felices esse possint sic agendo & vt ridiculi quidam homines fingunt in motu celerrimo quiescere quæ mouentur, non est in cadaueribus crede mihi bonus odor, non in turbulentia quies, non minus non esse potest in malis operibus animi tranquillitas, vbi tranquillitas animi non est, etiam si dominus orbis vniuersi fueris non potest esse felicità. Obiicis nobiles qui nihil plus sunt nisi quod tempus ipsum preciosissimam rem mortalium otio maximè terunt, cupiunt dilabi vt reditus novos recipiant, & quod maius est, queruntur non dilabi cuius maximam penuriam habent. O stultitiam inauditam? quid ergo obiicis in horum fauorem, qui hoc solo voto vitam sibi testantur odiosam quænam felicità hæc esse potest horum virorum?

Ci. Fateor, iam dixi contemplationis iucunditatem esse omnium rerum mortalium apicem in hoc non labora, vel vnum sufficiat exemplum quod Deorum at immortalium propria sit voluptas: verùm illud in dabio vertitur, quomodo homini conuenire possit quod si ostenderis pro tua etiam te humanitate rogatum velim, vt quemadmodum eâ potiri nos liceat, positâque vt doceas singulare enim erit hoc donum quod abs te habuerimus.

Er. Verum quænam obieceras, dic si placet rursum.

Ci. Omittam id cui scio postremo respon-

dendum esse, dicamque illud primùm quod occurrit, scilicet quod qui contemplantur, cogantur ferè omnium necessariorum, negotiorum, & præcipuè domesticorum obliuisci. Vnde omnia his temporibus præcipuè quibus etiam oculati atque solliciti enerti fraude, & solitudine aliorum solent, pessimum eant.

Er. Singillatim ad hæc, dicamus eorum qui contemplantur non vnum genus esse volo. Non omnes volo vt meo exemplo se in solitudinem conferant, vacent à cura familiari, nihil curent præter contemplationem, de Solis diuinis cogitent, sine vxore sint, sine prole, aut si quam habent, vt ego, aliis custodiendam linquant, negotiis omnibus vale dicant, repugnat humano generi omnes, imò plurimos, imò multos in vnaquaque re inueniri perfectos, quemadmodum & vt dixi in cæteris rebus mortalibus. Sed dico omnibus hominibus vitam hanc contemplatiuam conuenire?

Ci. Mira narras. *Er.* Imò quæ sese obiicant, dic quæso omnibus hominibus post negocia peracta, nonne aliquid superest otij? quis vel non ludit quotidie alea, vel obstrepit inutilibus sermonibus, vel deses residet absque negotio, vel fabulas legit, aut spatiatur nihil curans. Cum dico omnes ferè nullum excipio, nam non negauerim aliquos esse amentes, qui non possunt cogitare aliquos etiam in tanto cruciatu sub terra viuos, defossos, aut morbo requiem nullam habente detentos, qui ægrè vt possint rationis munere, sed neque tamen medicos morbos, neque asperissimam seruitutem excipio, quandoquidem etiam Turcæ & Africi qui Mahumetem colunt, suis seruis Christianis, quos durissimè laboribus & innoxia exagitant, tum ob auaritiam, tum ob naturæ sæuitiam tum ob consuetudinem, vt ille melius agere videatur, qui grauius atque deterius premat, torquet miseros seruos, tum ob immortale odium nominis Christiani. Illi tamen vacationem à laboribus sinit à media Veneris die vsque ad Sabbati Solis exortum, ergo vbi concesseris omnibus hominibus otij multum esse, quod pessimè terunt, quid si illud totum ad vsus contemplationis conuertant. An eo ipso magis peribit res domestica? quàm si ebrietati se dedant Dic?

Ci. Non. *Er.* An magis quàm si alex.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm scortis.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm iocis & procacibus verbis.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm fabulis legendis.

Ci. Nec hoc dico nec dicere ausim.

Er. An magis quàm inertis otio vel deambulationi prorusc sine cogitatione.

Ci. Nec istud. *Er.* Quid si ego dicam ex contemplatione hominem fieri prudentiorem, cautiorem, patientiorem, comem & magis ad conuersationem hominum & ad negotia accommodatum?

Ci. Equidem credo. *Er.* Quid ergo deest aut in quo damnum afferet rebus domesticis contemplatiua vita?

Ci. Omnia

Ci. Omnia rectè, sed vereor ne sit fabula illius qui prandium apud anrificem lucratus est.

Er. Intellego quid velis dicere, non esse omnes homines aptos huic negotio, non esse instructos, sed tamen id parum obstat, est enim naturæ humanæ quasi ingentium ferri ad Deum & contemplatione paulatim ad suprema adrepere, nemo est qui non cogitatione aliquid adsequatur incorporeum quodcumque fuerit ad rem nostram facit, vnus de Mathematicis cogitat alter de vitis, aliud de futura vita, de tempore, de futuris, omnes de anima, & de Deo quacumque iter fuerit ad idem dirigitur cogitatio, non nulli de eo quod extra Cælum est, quod fuit ab initio, de æternitate, itaque nemini, vt reor, deesse modus potest, voluntas potest. Nemo ergo quærat si voluntas desit, si adsit, cur id non agat sunt libri, sunt Doctores, nil differt Doctõr à lumine, lumen vnum, candelæ scilicet millies millia millium vna in die accendere potest quis numerus hominum tantus est, aut vnquam fuit, cui ergo vnus orbis sufficere?

Ci. Magnus numerus quem protulisti, sed dic quæso. Quomodo ad tantam vna in die multitudinem peruenire poterit.

Er. Præsuppono omnes adesse præsentibus: *Ci.* Quidni?

Er. Intellegi etiam volo diem naturalem?

Ci. Admitto. *Er.* His suppositis tantum indigeo ni me fallit animus. Nam vir vnus hora in vna? Nõne poterit docere decem circumstantes homines, seu discipulos dogma aliquod præcellens?

Ci. Quidni? *Er.* Memor esto quid dixeris.

Ci. Sanè. *Er.* Fac ergo vt secunda hora singuli doceant vnusquisque decem alios quot erunt?

Ci. Centum? *Er.* Nõne ergo in duabus horis centum & decem instructi erunt & edocti?

Ci. Certè quid postea?

Er. Fac ergo vt dicant Arithmetici, si in duabus horis vnus sit centum, nam priores decem volo quiescere, centum ipsi in duabus aliis horis quot erunt?

Ci. Decem mille. *Er.* Ergo vnus decem mille commodè iam instruit aut instruere potuit.

Ci. Quid modo? *Er.* Nihil, sed audi si vnus in quatuor horis decem mille instruere potuit decem millia in quatuor horis aliis quot instruent?

Ci. Centies mille millia.

Er. Iam propè sumus, ad terminum in octo enim horis vnus commodè instruit centies mille millia, adde ergo vnam horam nõne sient millies millia millium?

Ci. Sanè necdum pertigimus ad vigesimam quartam horam, qualis rogo numerus sufficeret postquam à mane ad vesperam etiam commodè prædando vllus mil-

Tom. II.

lies mille millia, imò millies centies vndecies millia millium docere potest, ex Archimedis regula de parabola, quomodo ergo cuiquam adesse potest Doctõr si discere velit.

Ci. Pauci tamen sunt & doctores & qui vitæ contemplatiuæ studeant.

Er. Est hoc quidem quod primò proposueras?

Ci. Sanè. *Er.* Vtriusque habes facilem exitum neglectus ignorantia inertia cupiditas nimia, illecebræ sensuum stimuli imperitorum, & quorundam qui se amicos fingunt exempla plebis, cum enim vnus labitur mille cadunt, ita fit vt neque contemplatiuæ vitæ operam dent, neque doceri cupiant.

Ci. Satisfecisti huic dubitationi perbelle, si modò hoc nos doceas cur si animus cœlestis est, si hæc vita tam beata atque facilis, cur tam pauci illi adhæreant numquidnè potest homo tam libenter à natura propria recedere, atque discedere.

Er. Causas dixi, non est vt repetam, solum hoc manet indiscussum quod vitimò dixisti scilicet quomodo aliquid maiore sui ex parte possit, in sui naturam contrariam verti: id ergo minus tibi difficili videbitur forsitan si te interrogauero, cur sit quod homo cum corporeus sit tantum operis, curæ, studij, temporis incorporeorum intelligentiæ amori venerationique tribuatur? Vis ergo vt breuiter tibi dicam vbi lepus iacet, est dictum illud sane præstans Philosophi quo tibi satisfaciam? Ad construendum (inquit ille) plura sunt necessaria ad destruendum sufficit vnum itaque vt contempleris vt bonus sis multa sunt necessaria, vt pessum eas quid opus est.

Ci. Intellego placet & satisfacit, sed tamen scio esse habere aliquid aliud, dic quæso. *Er.* Hæc, hæc est sanè.

Ci. Quid. *Er.* Necessitas cogit cogitur parare cibos, sitimus, cogimur parare potus, propter frigus vestes & domos, propter dolores medicamenta, iam postmodum consuetudine, reliqua vt necessaria habita sunt, inde opes quibus omnia hæc continerentur, opibus ergo incumbimus tanquam necessariis quoniam pars earum necessaria sit, habes ergo cum necessariis prius sit incumbendum, cur genus hominum potius opibus quàm contemplationi se dedat, solum illud loco vitii habendum est, quodea quæ sub genere necessario continentur, nec tamen vlla ex parte sit necessaria magis quàm necessaria hominibus curæ sunt, velut regna & principatus. Sed hæc postmodum vitio moralitatis eueniunt, velut in scabie maior pruritus quàm ex sordibus & fauces gulonum plus longè exposcit supra naturæ necessitatem, quàm ea, quæ humanæ salutis à natura indita est, ita natura transit in vitium.

Ci. In singulas horas disco aliquid à te nec quicquam addi posse, puto quod huic proposito congruat verum quod à me sperari non potest nunquam de te desperarè,

P p

desperarè,

desperare, est nequicquam aliud? quod in hanc rem faciat?

Eremita. Superest & nescio quid pusillum?

Ci. Quid? *Er.* Quod homines consuetudine aliorum & exemplo plurimum ducuntur, fieri non potest, ut non magna pars sit hominum quæ contemplationi idonea non sit, scilicet ob ætatem, ut pueri puelleque aliquæ mulieres, ineptæ ac omnino rudes tum etiam viri pauci tamen in seruitute & inter montes educati, adeo ut cum æterna sit & necessaria per se cuiusdam partis hominum (dico puerorum & puellarum) imperitorum propagatio necesse est, ut consuetudine homines magis auertantur à contemplatione quàm ad illam alliciantur?

Ci. Hui nimis hæc duo verba, dicas si placet quomodo aliis negotiis commode incubemus, si contemplationi vacauerimus, sed ut memini, iam huic negotio satisfacisti, quare dic solum quis nos tuebatur?

Eremita. Eadem ratione, quæ tuti sunt qui ociosi degunt qui garriunt inuicem nugas qui legunt fabulas qui alea ludunt.

Ci. At si totum me contemplationi dedere voluero quid fiet?

Er. Propterea dixi tibi solitudinem esse necessariam ad contemplationem sed si volueris etiam inter homines viuere sunt claustra in quibus plures egregij viri fraternâ consuetudine cohabitant eruditioni & contemplationi vacant potes & inter tuos quasi segregatis viuere itaque concludam cum Poeta illo:

*Vir sapiens nullo curarum fluctuat æstu
Non hunc fallaci supplantat gloria fæco
Non esca vestisque labor non cura Penarum
Sollicitat: non optati certamina luxus
Scæ domus unda pavor fugiat curaque seniles
Sicque dolis fraudisque expertus exemptus iniquâ
Ambitione: vacans morsu linoris amati
* Finit iniusto sub iudice curus
Cunctaque miratur sapientis facta parentis
Ex nihilo vasti quomodo firmauerit orbis
Molem, spirituumque choros cœlique meatuum
Struxerit & primos longæ cum prole parentes
Excimiumque in bar cecis optabile rebus
Solis & ex illo capientem lumina Phœben
Lumina clara Deum rutilantia sydera nocte
Talia dulce Sophos, Imperum Cœlique liquoras
Infundunt reuehantque pius super athera mentes.*

Ci. Agnosco cuius sint hæc carmina.

Er. Cuius sanè?

Ci. Vnius è subditis nostris Theophili Brixienfis.

Er. Vera dicis sed postquam domum reddimus præstat curare corpora & prandium parare.

Ph. Vbi mel & panem paucosque pisciculos sumpsisse Eremita nobiscum extra domum sublatis vasis, iuimus de cœna consulturi, quippe quibus nihil esset solidæ alimoniz: quæ unimur itaque in piscina piscem aliquem prægrandem, cumque post horas ferè duas fortuna obrulit hamoque implicitum, Mystum quem vocant Barbonum pendebat libras quaternas atque amplius multa interim confabulati de vita contemplatiua, sed tamen non ita ut ut obliuisceremur cœnæ iocabamur circa pisces aliquando, qui ad offam venientes, erat autem frustum ranæ cui adhaesit, erant & Vermes pulchrum spectaculum fugientes modò, modò escæ inhiantes videre. Ita natura sagax contra hominis fallacias pisces etiam instruxerat, escæ erant adeo temperatæ, ut neque omnes effugere possent, neque omnes capi, sed & inter hæc Eremita cœpit continuare sermonem, dicens, en videtis, amici, quòd non solum beatissimi sunt Philosophiz dediti & iuxta vnanquamque conditionem humanam sed etiam iuxta ætates. Habet iuuenis quo deuit pericula, quo contrahat immoderatos affectus quo leniat iram, indignationem, feruorem libidinis, quo errores corrigat iuuentus plena virtutis, plena sapientiz, & contemplationi dedita, admirabilis est velut senectus tolerabilis in hac omnia ferri possunt nihil est quod despicias in iuuentute omnia optanda atque laudanda, senex studiis & contemplationi vacans felicitate nulla ex parte inferior est opulentissimo & beatissimo iuvene, iuuenis sapiens, & eruditus, ac pius nihil habet quod sibi dignè possit comparari. Adde quod profuit iuuenibus vita pia & studiis sapientiz dedita quot ex illis ad vltimam prouexit senectutem, quot exemit à periculis quot ab infamia liberavit quot celebres reddidit multis seruauit opes pluribus stirpem, & filios. aliis gloriam peperit, virtutem colit, senex iuuenis exercet, senex contemplatur diuina, iuuenis ex contemplatione alios reprehendit inertes, alios hortatur ad iustitiam alios etiam vrget: sicut Hercules quem non frustra sustinuisse Cœlum fabulantur, atque Prometheus ignem è Cœlo surripuerit. (Quis enim tam stupidus est qui ignis vsum vnquam inuentum esse putet? Seu mundus æternus sit, seu factus sit) hic quidem Dei amorem & cultum deduxit in terras ob idque à Rege in crucem sublatus est quoniam reges tum imò Tyranni feruissimi pro Diis se haberi volebant ille alter hominum mentes ad sydera euexit & diuinorum contemplationem. Hæc tria communia solum sunt cum iuuenibus quæ Rex ille canit, *Cæli enarrant gloriam Dei*, ecce primum contemplatio

contemplatio diuinæ potentie, sapientie atque amoris, ecce secundum *cor mundum crea in me Deus*, scilicet ut ab omni peccato & ab omni labe habeam quod idem seruator Christus ait *beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Heu, Heu? miserum hominum genus ac perditum quod primum non putat posse se sine scelere viuere, atque flagitio, cum tamen etiam virtuti suauis sit ad vitam honestiorem, commodiorem, ac tutiorem, deinde quod putant se sic viuendo posse esse felices cum eo sint miseres, demum quod et si primi felicissimi essent; quid pro æternitate punctum, quid pro infinito minima particula temporis? Tertium est cum dixit & *spiritum rectum in noua in uisceribus meis* en Dei armaturam Loricam iustitiæ munitis puto fidei gladio spiritus & salutis galea, aduersus principes & potestates mundiue retores ac tenebrarum dominos nolo vos iustitiam exercere nec querere quid illi agant, durum est contra stimulum calcitrare, sit in uobis sitis iustitiæ sed prudentiæ fræno, moderata nolite pugnare importune neque cum potentioribus sapientiam adhibete lima temporis euertit etiam mentes ne dum turres & arces. Sed longo post tempore at potentiam hominum, consilia, iram, amorem, tam celeriter euertit, nec dicas nunquam fuisse cuius ne uestigium quidem superest. Moriuntur homines dissoluuntur coniunctiones, amor obliteratur, refrigeratur ardor, & impetus recundantur, consilia disfluunt conspirationes dissipantur, odia languescunt, quàm multa intercedunt impedimenta ut is videatur studiosus rerum humanarum qui scit, atque potest occasionibus uti, malo occasionem, quàm Philosophorum sapientiam, occasio difficillima facit faci-

lia, & ex facillimis impossibilia; sufficiet ergo pro occasione consuluisse.

Ci. At equidem ò generose dicam quid mihi sæpe contigerit cum iunior essem delectabar Ludo alex, sæpeque mecum ludebam ex variis, fultus consiliis, victor prodibam meipsum tamen duntaxat in locum ubi aleatores erant ibi cum primum de tanta pecunia certandum esset omnium quas excogitaueram domi cautionum obliuiscabar, ita nunc & beati & felices nobis videmus inter nos in hoc ergastulo solitudinis, at cum uultus illos furentium militum truciumque magistratum caperatam frontem principis exandescens qui vno verbo & nulla ex causa centum homines adigit ad laqueum, quibus neque licet tanquam sit dirius aliquid timendum seuâ & turpi morte atque iniusta quam de sorte sua cumque duo millia hominum aut etiam longè plura ad certam necem impellunt. Nescio quod refugium nobis relinquatur ex hac contemplatione?

Pb. Tum verò discessimus è piscina, capto pisce atque ille cogitabundus videbatur, neque enim iudicio meo per omne tempus, in quo apud illum fuimus, fuerunt autem dies quadraginta tres, ni fallor vnquam illum vidi magis suspensum, atque cogitabundum, quàm in illo reditu; existimo quod verecundus esset, non ausus nobis persuadere ea à quibus ipse non persuaderetur & certè præmium illud quo usus est cum respondere cœpit; & mora illa omnia præter consuetudinem eius, qui alacriter ad cuncta tanquam præmeditatus ad respondendum venisset illud testabatur ubi ergo piscem in peluim aquâ plenam reposuissimus sedentes ad ignem aliquandiu submisit confabulatus est.

